

ia sacra; civilem potestatem, ab ecclesiastica si damno afficiatur, sibi consulere potestatem indirectam negativam in sacra; illi competere nedum jus, quod vocant *exequatur*, sed vero etiam appellationem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalere, etc... »

Idcirco « prædictos libros (sunt verba brevis apostolici) tanquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem injurias, ejusdem juribus derogantes, Ecclesiæ regimen et divinam ejus constitutionem subvertentes, schismaticas, hæreticas, protestantismo ejusque propagationi faventes et in hæresim, et in systema jamdiu ut hæreticum damnatum in Lutero, Baio, Marsilio Patavino, Janduno, Marco Antonio de Dominis, Richerio, Laborde et Pistoriensibus, aliisque ab Ecclesia damnatis inducentes, necnon et canonum concilii Tridentini eversivas, reprobamus, damnamus, ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. Præcipimus idcirco ne quisquam fidelium cujuscumque conditionis et gradus, etiamsi specifica et individua mentione dignus esset, audeat præfatos libros ac theses apud se retinere aut legere sub pœnis suspensionis a divinis quoad clericos, et quoad laicos excommunicationis majoris, ipso facto incurrendis, quarum absolutionem et relaxationem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, excepto tantum quoad excommunicationem mortis articulo. Mandamus quoque typographis, ac bibliopolis, cunctisque et singulis cujuscumque gradus et dignitatis ut, quoties prædicti libri ac theses ad eorum manus pervenerint, deferre teneantur ordinariis sub iisdem respective pœnis... Neque tantum memoratos libros, ac theses, sed alios, aliasque, quoscumque sive scriptis, sive typis exaratos libros, vel forte exarandos et imprimendos, in quibus eadem nefaria doctrina renovetur ex integro, aut in parte, sub iisdem pœnis superius expressis damnamus, reprobamus, atque legi, imprimi, retineri omnino prohibemus. »

Cf. etiam Reiffenstuel Tit. II, de *Constitutionibus*, § 3, pag. 112. et seqq.

ADNOTATIO VI

Proœmium § XII, n. 223, p. 52.

DE JURE CIVILI GALLICO UTPOTE AD CONSCIENTIAM SPECTANTI.

Sub hoc titulo lectoribus studiosis volumus indigitare sequentes libros tanquam consulendos :

Le Code civil commenté dans ses rapports avec la théologie morale, ou Explication du Code civil, tant pour le for intérieur que pour le for extérieur, a R. D. Th. Gousset, vicario generali Bisuntino, nunc archiepiscopo Remensi et S. R. E. presbytero cardinali; tertia editio, Valentia in Galliis, Jamonet, 1836.

Le droit privé, administratif et public dans ses rapports avec la conscience et le culte catholique, a R. D. Corbière, Ecclesiæ Augustodunensis canonico honorario; Lugduni et Parisiis, apud fratres Périsset, 1841.

L'Économie sociale au point de vue chrétien, ab eodem R. D. Corbière; Parisiis, A. Jouby, 1863.

Quibus sane addendi sunt auctores catholici qui de theologia morali, de justitia et jure, de restitutione et de contractibus ex professo tractant.

ADNOTATIO VII.

Proœmium § XIII, n. 232, p. 54.

DE MODO CITANDI JUS CANONICUM ET JUS CIVILE ROMANUM.

Quoniam auctor noster in Proœmio nullibi rationem usitatam in scholis et in libris citandi et allegandi varios textus juris utriusque indicaverit, non videtur supervacaneum, præsertim in gratiam tironum, notiones ea de re certas hic opportune tradere.

I. Quoad jus canonicum.

Gratiani decretum, ut dictum fuit, tres partes complectitur. Capita, quibus constant tres illæ partes, communius vocantur *canones* et sic allegantur. Primo verbo canonis præponitur vox *canone* vel brevius *can.* vel etiam *C.*, et postponitur numerus ejusdem canonis. Hæc regula pro tribus partibus viget. Porro prima pars 101 *distinctiones* habet; quando ex hac parte textus aliquis eruitur, formulæ generali additur vox *distinctione*, vel *dist.* vel *D.* cum numero distinctionis, exempli gratia : *can. Obitum* 16, *dist.* 61. Secunda pars XXXVI *causas* tenet, et unaquæque causa *questionibus* coalescit; tunc formulæ additur numerus Romanus indicans causam, quem sequitur vox *questione* vel *quest.* vel *Q.* cum numero questionis hunc in modum : *can. Sacerdotibus* 41, II, *quest.* 1. Attamen canones causæ XXXIII, quæ de pœnitentia tractat, allegantur ut fit pro canonibus primæ partis; adjiciuntur tantum verba de *Pœnitentia*, vel de *Pœnit.* sic : *can. Perfecta* 8, *dist.* 3, de *Pœnit.* Decreto tandem tertiæ partis, quæ de *Consecratione* inscribitur et quinque *distinctiones* præbet, eadem ratione citantur scilicet : *can. Nemo* 9, *dist.* 1, de *Consecratione*.

Decretales Gregorii IX quinque libros complectuntur, et unusquisque liber titulos habet, titulus autem *capita*, caput paragraphos et aliquando partes decimas. Quando Decretales allegantur, nulla fit mentio sive de libro, sive de numero tituli, sed tantum enuntiantur prima verba capitis cum numero ejusdem capitis et inscriptione tituli, verbi gratia : *cap. Cum non ab homine* 10, de *Judiciis*. Intelligit lector, qui codicem Decretalium una aut altera vice inspexit, recurrendum esse ad caput decimum tituli primi, qui de *Judiciis* inscribitur,

libri primi. *Paragraphi* sunt variae phrases capitulum, et partes *decimæ* dicuntur fragmenta prius ex capite resecata, quæ correctores Romani ad calcem quandoque subjunxerunt, alium adhibentes characterem.

Sextus eodem modo citatur; adduntur verba *In Sexto*, et frequentius scribitur in 6. Sic : *cap. Si super gratia* 9, de *Officio judicis delegati*, in 6.

Clementinæ allegantur præmittendo *Clem.* Item Extravagantes Joannis XXII, præmittendo *Extrav. Joan. XXII*; communes, *Extrav.*

II. Quoad jus civile Romanum.

Apud Justinianum significat Institutiones Justiniani.

Auth. indicat novellam in Authenticis quaerendam.

C. vel *Cod.* codicem; *C. Theod.* codicem Theodosianum.

D. vel *Dig.* Digestum, seu librum Pandectarum; ff. Pandectas.

L. legem. Fragmenta Pandectarum vocantur leges et sic citantur, ad instar decretalium : *L. Saepe*, ff. de *Sponsalibus*.

Lib. librum.

Nov. novellas.

Par. vel § diversos paragraphos legis; singuli a primo verbo citantur.

Rub. rubricam. Rubricæ sunt tituli in quos liber dividitur.

Sum. summaria, dicta etiam paratitla.

Tit. titulum; titulus *caput* quandoque dicitur.

ADNOTATIO VIII.

Lib. I. Decret. Tit. I, de summa Trinitate et fide catholica, § IV, n. 76; pag. 73.

DE FIDE CATHOLICA PER SYMBOLA ET CONSTITUTIONES DOGMATICAS DECURSU TEMPORIS ENUCLEATA.

Unicuique studioso precibus iteratis commendabimus duo præcipue opera, quæ rem ab auctore nostro tractatam plurimum illustrent.

Primum : *Enchiridion symbolorum et definitionum quæ de rebus fidei et morum a conciliis œcumenicis et summis Pontificibus emanarunt*; Wirceburgi, edidit in auditorum usum Henricus Denzinger, philosophiæ et theologiæ doctor, et in universitate Wirceburgensi dogmatices professor ordinarius. Sanctissimus D. N. Pius PP. IX librum hunc ab auctore oblatum benignissime suscepit, rescripsitque illum « præclare de religione deque Ecclesia meruisse. » Sic propositum explicat Denzinger : « Inter multa quæ temporum iniqua conditio scholis catholicis intulit mala, id potissimum studiis theologicis nocet quod a multis positiva, ut dicant, credendi agendique documenta, publice Ecclesiæ auctoritate sancita, vel ignorentur vel negligantur, nimiumque proprio ingenio indulgeatur. Quo fit ut, sanctis-

sima fidissimæque doctrinæ ecclesiasticæ loca, ridicula et absurda hominum, qui semper discurrunt, nunquam vero ad scientiam veritatis perveniunt, commenta venditentur. Nos autem, dilectissimi auditores, id pro certo habeamus Ecclesiæ præscripta firmissimum illud esse fundamentum, cui omnis de divinis rebus speculatio nostra superstruenda, regiam illam viam, in qua nobis jugiter proficiendum, a qua tamen nunquam, neque ad dexteram, neque ad sinistram, recedendum est; nisi velimus a christiana fide ad paganam opinandi licentiam deficere, et damnatum illud a sancta Sede principium statuere, *rationem principem, normam æ unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem* (Gregorii XVI breve diei 26 sept. 1875 adversus Hermesium). Hinc est quod vobis Symbola, definitionesque conciliorum atque Pontificum brevi compendio collectas offeramus, ut fines a patribus statutos facilius noscatis, certa mente confidentes vos eo magis in intellectu veritatis, quantum scilicet hujus vitæ conditio sinit, profecturos, quo majori fidei pietate a magistra Ecclesia discere studueritis. » Ad calcem libri subjiciuntur indices duo, prior scilicet documentorum, posterior vero materiarum systematicus accuratissime confectus.

Secundum : *Histoire du développement de la doctrine chrétienne*, a J. H. Newman, vernaculo sermone conscriptum, et in gallicum idioma translatum Julii Gondon opera, Parisiis, A. Bray. Ut idea libri perspiciatur, consulatur *Bibliographie catholique*, tom. VII, pag. 406.

Insuper oportet multum ponderare illa quæ sapientissime inculcat Sanctissimus D. N. Pius PP. IX, in litteris apostolicis diei 8 decembris 1854, pro definitione dogmatica Conceptionis Immaculatae B. M. V. videlicet : « Et re quidem vera, hanc de Immaculata beatissimæ Virginis Conceptione doctrinam, quotidie magis gravissimo Ecclesiæ sensu, magisterio, studio, scientia ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mandandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam, ac revelatæ doctrinæ caractere insignitam, illustra venerandæ antiquitatis Ecclesiæ orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia, sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando, si qua antiquitus informata sunt et Patrum fides servit, ita limare, expolire studet ut prisca illa cœlestis doctrinæ dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. »

ADNOTATIO IX.

Lib. I. *Decretal.*, Tit. I, § V, n. 97; pag. 77.

DE CREATIONE RERUM VISIBILIUM JUXTA SANCTUM AUGUSTINUM.

« Omnia simul creata sunt, inquit auctor noster, vel perfecte ut Angeli, vel saltem quoad substantiam quodammodo informem, sive quoad materiam primam omnium rerum corporearum, quae simul una cum substantia angelica ex nihilo creata fuit, et successive variis formis, ex eadem eductis, miro artificio divino exornata. » Hic Reiffenstuel sequitur sententiam sancti Augustini qui, de *Genes; contra Manichaeos*, lib. I, cap. IX et seq., mundi visibilis creationem sic explicat: « Primo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quae distincta atque formata sunt, quod credo a Graecis chaos appellari. Sic enim in alio loco legitur dictum in laudibus Dei, qui fecisti mundum de materia informi; quod aliqui codices habent de materia invisibilis (Sap. XI, 18). Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa materia amen omnino de nihilo facta est... Informis ergo illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo caelum et terra, et dictum est: *In principio fecit Deus caelum et terram*; non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat: nam et caelum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia; non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est: *In principio fecit Deus caelum et terram*, quasi semen caeli et terrae, cum in confuso adhuc esset caeli et terrae materia; sed quia certum erat inde futurum esse caelum et terram, jam et ipsa materia caelum et terra appellata est... Innumerabiles tales locutiones in Scripturis divinis inveniuntur. Sicut in consuetudine sermonis nostri, cum id, quod certissime speramus futurum, dicimus jam factum puta... Haec ergo nomina omnia, sive caelum et terra, sive terra invisibilis et incomposita et abyssus cum tenebris, sive aqua super quam spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiae, ut res ignota notis vocabulis insinuetur imperitiis, et non uno vocabulo, sed multis, ne, si unum esset, hoc putaretur esse quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. » (*Augustini opera omnia*, Parisiis, apud fratres Gaume, 1836; tom. I, col. 1052 et seq.)

Advertendum tamen quod Suarez post alios sententiam hanc, tanquam doctrinae communi Patrum contrariam impugnet, de *Opere sex dierum*, lib. I. (*Opera omnia*, Parisiis, Ludov. Vivès, 1856; tom. III, p. 53 et seq.)

ADNOTATIO X.

Lib. I. *Decretal.*, Tit. I, § VI, n. 115, initium versus; pag. 80.

DE SALUTATIONE ANGELICA EJUSQUE ADDITAMENTIS.

« De primis auctoribus angelicae Salutationis, ait Gavantus, non est quod quaeram, Gabriele videlicet et Elisabetha, quorum alter ea verba protulit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; altera repetens ultima verba archangelus addidit alia: *et benedictus fructus ventris tui*, Luc. I. Quæro potius quando reliqua usque ad finem fuere addita ab Ecclesia? Certum autem est in concilio Ephesino hæc quæ sequuntur pronuntiata fuisse: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, Amen*; ut ait Baronius, ann. 431. Quæ verba addita Salutationi angelicæ perdurare usque ad Breviarium cardinalis sanctæ Crucis, ut initio habetur ejusdem. Postremis ergo temporibus, ex consuetudine Romana, a Pio V in Breviario approbata, additum est quod sequitur, *nunc et in hora mortis nostræ*. Verbum *Jesus* in medio diei ex antiquiore usu ego puto. » (*Thesaur. sacror. rituum*, tom. II.)

« Pius V, inquit Grancelas, Pater secreto ante Officium in Romano Breviario recitari primum jussit, atque etiam *Ave* et *Credo*. Quod *Ave* spectat, in sancti Gregorii *Sacramentario* primum occurrit, in Ecclesiae officio ad Offertorium missæ quartæ dominicæ Adventus; sed verba Angeli tantum complectitur, estque potius antiphona quam oratio. Nullus quoque eorum scriptorum, qui fideles ad preces quasdam persolvendas hortati sunt, ejus rei meminit; usque ad XI sæculum concilia et Patres *Symboli* tantum et *Orationis* Dominicæ meminerunt, quæ a populis discit et quotidie recitari suadebant... occurrit tamen *Ave* in minori B. V. Officio, ad Invitatorium, apud Petrum Damianum, opusc. 33. Inter preces vero populo præscriptas primum invenitur apud Odonem de Solliens, episcopum Parisiensem, in suis constitutionibus sive statutis ann. 1195: « Exhortentur populum semper presbyteri ad dicendam *Orationem* Dominicam, et *Credo in Deum*, et Salutationem angelicam B. Mariæ Virginis. » Post ea vero tempora sæpius in conciliis inculcatur... Urbanus IV Angelus verbis addidit: *fructus ventris tui Jesus Christus. Amen*. Additamentum: *Sancta Maria* in nulla precum formula ante annum 1508 reperitur; tunc vero usurpatione ceptum: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen*. Franciscani addiderunt postea: *et in hora mortis nostræ*; atque in Breviario anni 1513 legitur, eaque de causa cardinalis sanctæ Crucis, qui Franciscanus fuerat, Breviario suo inseruit, Piusque PP. V *Ave* et *Sancta*, cum Franciscanorum additamento, Romano Breviario inseri voluit.

« Hæc sunt quæ de *Ave* atque *Sancta* constanter

affirmari possunt; quidquid scripserit Baronius ad ann. 431, qui *Sancta* a concilio Ephesino compositum fuisse existimavit. Verum ejus rei nulla satis valida auctoritas produci potest, neque libellus de *Ritibus Baptismi*, nomen Severi patriarchæ Alexandrini præferens, fidem ullam meretur, ad cujus finem hæc oratio reperitur. Nullus enim inter Alexandrinos patriarchas Severus appellatus fuit, quæ ratio est cur in quibusdam codicibus manu exaratis Severo Antiocheno tribuatur; at veteres, qui Severi Antiocheni operum meminere, libri de *Baptismo* mentionem non faciunt. » (*Comment. histor. in Rom. Breviarium*.)

Nunc audiatur Catalanus: « Docet Baronius ad ann. 431, inquit ille, ipsum additamentum compositum fuisse ab Ephesini concilii Patribus, in ejusque probationem afferre solent auctores, qui Baronium secuti sunt, locum ex Severo patriarcha Alexandrino in libro de *Baptismo*, ad cujus finem ita hæc oratio concepta reperitur: « Pax tibi, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus qui est in utero solus Christus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen. » Sane respondet Grancelas librum ipsum, nomen Severi Alexandrini patriarchæ præferentem, nullam fidem mereri, quod nullus inter Alexandrinos patriarchas eo nomine appellatus sit; atque hanc esse aî rationem cur in quibusdam libris manu exaratis Severo Antiocheno tribuatur. Sed, pace hujus auctoris, hoc parum refert, modo in antiquis manuscriptis codicibus oratio ipsa reperitur ad comprobendam additamenti antiquitatem, quod memoratus Grancelas in nulla precum formula ante annum 1508 reperiri contendit. Sed de hac re eruditissimus Antoninus Bremond, in sui ordinis prædicatorum Annalibus tom. I, videri potest, ubi de rosario Virginis a sancto Dominico primum adinventum et prædicato disserit. » (*Pontificale Roman. commentarius illustratum*; Parisiis, apud Méquignon juniorem, 1831; tom. II, p. 406.)

Tandem hodiernis temporibus, anno scilicet 1863, monumenta, de quibus in hac adnotatione fit mentio, denuo prolata sunt. *Diarium* gallico sermone Romæ impressum, cui titulus *Correspondance de Rome*, die 1 aug. 1863, dixerat Salutationem Angeli et salutationem Elisabethæ in unam eandemque coaluisse opera sancti Gregorii Magni, et verba *Sancta Maria*, etc., fuisse prorsus incognita ante annum 1508 (Mabillon, *Acta SS. ord. S. Ben.* præf. ad sæc. V). Porro hac ipsa occasione, in medium allatum est Breviarium sanctæ Eporediensis Ecclesie (vulgo *Ivréa*) anni 1488, quod integram Salutationem angelicam habet (*Corresp. de Rome*, mense martio 1864; *le Monde*, edit. quotid. 17 martii 1864). Integram intelligimus sine tamen verbis: *Nunc et in hora mortis nostræ*; siquidem, in editione percelebris Catechismi a beato Canisio vulgati, Antwerpæ apud Christoph. Plantinum architypographum regium, cum imaginibus

anno 1589 excusa, legitur adhuc tantum: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen*.

ADNOTATIO XI.

Lib. I. *Decretal.*, Tit. I, § VIII, n. 159; p. 90.

DECRETA RECENTIORUM CONCILIORUM DE PROFESSIONE FIDEI EMITTENDA.

Concilium Suesionense, tit. XIV, cap. III: « Provisi de canonicatibus, non solum coram episcopo vel generali ejus vicario, sed etiam in capitulo, fidem catholicam profiteantur juxta formam a Pio IV præscriptam; alioquin non admittantur. » Avenionense, tit. I, cap. I: « Concilii Tridentini summorumque Pontificum auctoritate innixi, obstrictos declaramus aut obstringimus ad publicam orthodoxæ fidei professionem, juxta formulam a Pio IV præscriptam, eos qui ad concilia provincialia et synodos diocesanas accesserint, vicarios generales cum primum assumuntur, canonicos, parochos inamovibiles, et etiam parochos ad nutum episcopi amovibiles, eamque ab his renovandam toties quoties novæ parochiæ inibunt possessionem. Tandem eodem præcepto tenentur omnes qui præficiuntur seminariis, gymnasiisque ecclesiasticis; insuper illi qui in hisce domibus promoveantur ad munus sacram theologiam ac philosophiam docendi, necnon omnes singulis scholis vulgo dictis *Écoles primaires* præsidentes, sive ad congregationem Fratrum scholarum christianarum dictam, sive ad alias hujusmodi congregationes pertineant, qui hac in provincia munus suum exercent. »

Lugdunense, art. XIII: « Canonici intra duos menses, a die possessionis initæ, coram episcopo aut ejus vicario, et coram capitulo, fidem catholicam profiteantur, juxta formam a Pio IV præscriptam. » Insuper art. XV: « De paræcia curanda provisi per titulum inamovibilem, qui apud nos titulo beneficii aliquo modo equiparatur, suæ fidei professionem, ad mentem concilii Tridentini, juxta præscriptam a felicis recordationis Pio PP. IV formulam, emittant. »

Rothomagense, part. II, decr. I: « Coadunati in concilio episcopi, vel in synodo presbyteri, hinc præcipue exordiantur ut formulam fidei a Pio IV exaratam aperte profiteantur, etiamsi jam antea ab ipsis juxta canones emissa fuerit. »

Burdigalense, tit. prævio, cap. III: « Quo validius orthodoxa fides in clari et populi christiani mentibus infigatur et sarta tecta permaneat, omnes hujus provincie episcopi exigant, non solum a canonicis et seminariorum magistris, sed et ab omnibus qui animarum curam susceperunt, et ceteris qui de jure vel consuetudine tenentur, ut coram se aut vicariis generalibus, vel in solemnitate suæ installationis, professionem fidei Pii IV genuflexi pronuntient. Laicis quoque confessarii

aliquando eam in satisfactionem pro peccatis imponant. Versio itaque fidelissima hujus professionis fidei fieri debet, quam imprimendam accuratissime a suis typographis episcopi hujus provinciae mandabunt in Manualibus et aliis libris pietatis.»

Senonense, tit. I, cap. vi : « Provisi de canonicatu, secundum Tridentinam legem, fidei catholice professionem, juxta formam a Pio PP. IV præscriptam, coram episcopo vel ejus vicario seu officiali et capitulo, faciant, quando possessionem adipiscantur. »

Aquense, tit. II, cap. II : « Quoniam, ut ait Apostolus, unus est Dominus et una fides (Ephes. IV, 5) et corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. X, 10), ut qui Deo militant eodem quem habent spiritu fidei loquantur omnes, nos, sacros. Trid. concilii decreto inherentes, mandamus ut professio fidei sub forma juramenti, a fel. record. Pio PP. IV præscripta, et a nobis hujuscæ synodi initio publice præstita, suo loco et tempore emittatur ab omnibus infra designandis. »

» Hanc ergo professionem in provincia Aquensi emittent : 1º novi vicarii generales aut canonicatum obtinentes, ante adeptam possessionem, in manibus episcopi, vel eo impedito, coram vicario generali, ad hoc specialiter deputato, præsentem capitulo ; 2º omnes curam animarum habentes, sub quocumque titulo scilicet : parochi, rectores et etiam capellani, in manibus episcopi aut coram presbytero ad hoc specialiter deputato, sive ante, sive post adeptam possessionem, sed infra bimestre ; 3º superiores etiam tum majorum, tum minorum seminariorum, et quicumque collegiis aliisve institutionibus ab ordinario præficiuntur, in manibus episcopi aut coram ejus vicario generali intra duos menses ; 4º qui clero adscriptus theologiam vel philosophiam quovis nomine docuerit, et etiam laicus, qui in institutione auctoritatis ecclesiasticæ regimini subjecta, philosophiam docendi munus susceperit ; 5º tandem novi concionatores, etiam regulares, qui prima vice ad stationem solemnem Quadragesimæ aut Adventus, vel ad alia spiritualia exercitia deputantur, nisi episcopo constet illos jam professionem fidei emisisse. »

Claromontanum, *Decreto de capitulis* : « Volumus ut provisus de canonicatu, non solum coram episcopo seu ejus vicario generali, sed etiam in capitulo, orthodoxæ fidei publicam professionem juxta præscriptum sacrosancti conc. Tridentini et formam a s. m. Pio PP. IV assignatam : alioquin non admittatur. »

Auscitanum, tit. I, cap. vi : « Quilibet sacerdos aliquam dignitatem in Ecclesia obtinens vel officium quoddam aut munus, cui animarum cura aut verbi divini prædicatio annectitur, fidei professionem emittat juxta formulam a Pio PP. IV datam ; alioquin effectu careat ejus titulus, donec huic obligationi satisfecerit. »

» Ad hanc fidei professionem emittendam te-

neantur : 1º qui ad canonicatus, dignitates, personatus in capitulis cathedralibus promoventur ; et hi quidem non solum coram episcopo, sed et in capitulo, hanc professionem faciant ; 2º omnes parochi, sive titulum perpetuum habeant, sive revocabilem ; qui omnes in manibus decani, vel alterius ab episcopo delegati, professionem fidei emittent in ipsorum Ecclesiis, quando in munere constituentur ; 3º theologiæ professores, Scripturæ sacræ et sacrorum canonum lectores, et quicumque in majoribus seminariis clericorum educationi collaborant ; 4º verbi divini præcones, quales missionarii, et alii qui prædicationi præcipuam operam dant. »

Coloniense, anno 1860 celebratum, part. I. tit. I, cap. VII : « Nos quæ sacrosancta Tridentina synodus de orthodoxæ fidei publica professione a quibusdam e formula faciendâ præscripsit, in nostris diocesis observanda esse denuo sancimus. » Part. II, tit. II, cap. XXIV : « Cum fidei doctrinam tradendi munus a Christo Ecclesiæ soli commissum sit, de Ecclesia hic partibus agi non est dubium ; idque eo magis etiam elucescit quia religionis præceptores munus quasi parochi alumnorum exercent, cum eorum sit officium divinum pro iisdem persolvere, sacramenta iisdem administrare, hinc animarum curam gerere. Hoc autem munus, utpote jurisdictionis potestatem delegatam, a solo ordinario a quo jurisdictionis emanat, conferri posse perspicuum est. Quibus perpensis, ordinarii sibi jus ac facultatem præservant collationis canonicæ proprio decreto exprimentæ, quo religionis præceptores in officium immittantur ; nullusque deinceps, etiam aliunde designatus, hujus officii partes sine nostrâ collatione et fidei professione coram nobis emittenda implere audeat. (De scholis superioribus). » Et cap. XXVI : « Mandamus ne quis sacras scientias docendi munus suscipiat, nisi obtenta a nobis facultate litteris exprimentæ, et professione fidei coram nobis emissâ. » (De disciplinis sacris tradendis in academicis et in universitatibus.)

ADNOTATIO XI.

Lib. I. *Decretal. Tit. I, § VIII, n. 161; pag. 90.*

DE RECEPTIONE LEGUM.

Ut probe intelligatur textus auctoris nostri de decreto Pii IV, circa professionem fidei emittendam, in quibusdam religionibus non recepto loquentis, necessarium est legere eundem auctorem ubi de *Interpretatione legum*, tit. II, de *Constitut.*, § VI. Cf. etiam Fagnanum, lib. I *decretal. part. II, de Treuga et Pace*; hoc enim loco perdifficilis de receptione legum questio luculentissime tractatur et clarius solvitur. Item D. Bouix, *Tractatus de principiis jur. canon.* Parisiis, apud Jacobum Lecoffre 1832; part. II, sect. II, cap. v; et infra adnotationem XVI.

ADNOTATIO XII bis.

Lib. I. *Tit. I, § VIII, n. 187; pag. 95.*

AN FIDEI PROFESSIO PER PROCURATOREM POSSIT EMITTI?

Docet auctor noster emitti posse per procuratorem professionem fidei a concilio Tridentino et constit. Pii IV *Injunctum* præscriptam, sed emendandus est, juxta Giralduum, *Expos. jur. pontif. juxta recentior. disciplinam*; t. III, sect. CXXXVI. « Corrigendi sunt, inquit Giralduus, doctores asserentes fieri posse per procuratorem, attentâ clarissima declaratione S. C. C. in *Cathacensi* ad II dulum; » cujus tamen textum non invenimus apud eundem, sed apud Pelellam, *Canones et decreta conc. Trid. cum declarationibus, etc.* Neapoli 1859.

« Querit episcopus Cathacensis an fidei professio sit emittenda a canonicis, tam cathedralis quam collegiatarum, an eadem fieri possit per procuratorem; quomodo eadem sit explenda, an coram canonicis capitulariter congregatis et deinde coram episcopo; quibus denique pœnis subiaceant qui eam vel non emittunt, vel debito modo non emittunt. »

» Sacr. conc. Trid. sess. XXIV, cap. XII de *Ref.* decrevit ut provisus de canonicatibus et dignitatibus facere teneantur fidei professionem, ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis, et forma fidei professionis ab his emittenda statuta fuit a S. Pont. Pio IV in sua bulla 99, *Bullar. t. II*. Quia vero concilium loquitur de provisus in ecclesiis cathedralibus, Sacra hæc congregatio sæpe respondit non teneri ad emittendam fidei professionem provisus de canonicatibus et dignitatibus in collegiatis ecclesiis, uti resolutum fuit in Avenion. ann. 1576, lib. IV *Decret.* pag. 128 a tergo et pag. 383 a tergo et 186 ibi : « Queritur an provisus in ecclesiis collegiatis de dignitatibus vel canonicatibus teneantur fidei professionem facere, neque enim » cap. XII, sess. XXIV, aut constitutione Pii PP. IV » viderentur adstricti? S. C. respondit provisus de » canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis collegiatis non teneri ex concilio sess. XXIV cap. XII, » neque ex bulla Pii IV, emittere professionem » fidei, quia concilium loquitur de cathedralibus. »

» Quoad punctum, an eadem emitti possit per procuratorem, nonnulli affirmative respondent, Navarr. lib. II, consil. XI de *Jurejur.* n. 2; Sanchez, *In præcept. Decalogi*, t. I, lib. II, cap. v, n. 7; Barbosa, *Jur. eccles. univ.* lib. I, cap. XI, n. 56; Anacl. Reiffenstuel ad tit. *Decretal. de Jurejurando* n. 182, cum aliis quos cumulat et sequitur Bockn in *Jur. spr. univ.* lib. I, tit. I, part. I, q. 2 : alii negative respondent, et huic opinioni adhæsit Sacra hæc congregatio et etiam Rotæ tribunal, juxta resolutiones et decisiones impressas apud Garciam de *Beneficiis*, part. III, cap. II, n. 51 et 75, et, præter

resolutiones a Garcia allegatas, alia reperitur in regestis S. C. in *Valentina*, ann. 1610, lib. XI *Decret.* pag. 91 : « Cong. Conc. etc. censuit professionem fidei per procuratorem emitti nullo » pacto potuisse, nec emissam suffragari; » et juxta praxim illi, qui intra tempus statutum non possunt accedere ad residentiam, et habent indultum abessendi, supplicant huic S. Congregationi pro facultate emittendi professionem, si sunt in Urbe, in manibus Eminentiss. vicarii Urbis; et S. C. indulgere consuevit, cum clausula tamen ut, postquam ad residentiam accesserint eam personaliter repetant ad tramites S. conc. Tridentini.

» Transeundo ad modum emittendæ professionis, disputatum fuit die 7 aug. 1683 sequens dubium : An professio fidei per provisus de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus emittenda in capitulo, ex dispositione S. Conc. Trid. cap. XII, sess. XXIV de *Reform.*, emitti debeat coram omnibus canonicis in capitulo congregatis, vel satis sit ut emittatur coram prima dignitate aut decano, aut uno ex canonicis antiquioribus tantum? et huic dubio responsum fuit : « Eam » esse emittendam coram canonicis capitulariter » congregatis, » et juxta litteram concilii cit. sess. XXIV, cap. XII, provisus tenentur emittere professionem non solum in capitulo, sed etiam coram episcopo sive ejus vicario generali, et juxta praxim, si fiat coram vicario, etiam episcopo impedito, aut in capitulo in quo sit præsens episcopus vel vicarius, satisfactum diei debet obligationi fidei professionem emittendi, uti plene habetur apud Monacell. in *Form. pract.* I, p. 54, n. 7; et concordat resolutio hujus S. Congregationis in *Sarzanen. professionis fidei* 14 jan. 1679, lib. XXX *Decret.* p. 244 ad I, ibi : « I. Quoad emissionem » professionis fidei, modo ut supra secutum, scilicet » in capitulo, in quo præsens erat vicarius, qui » erat etiam canonicus et sedebat in stallo canonicali non autem vicariali, an satisfactum fuerit » dispositioni concilii cap. XII, sess. XXIV de *Reform.*? Sacra etc... : Ad I respondit affirmative. »

« Demum in eo quod attinet ad pœnas, quoad eos qui non emittunt, vel debito modo non emittunt fidei professionem, cum concilium loquatur de fructibus, ibi : « fructus non faciant suos; » sub hac censura non comprehenduntur distributiones, uti habetur lib. I *Decret.* pag. 65 a tergo, ubi proposito huic dubio responsum fuit : « Distributiones » quotidianas non comprehenduntur in hoc casu verbis » concilii dicti cap. XII, sess. XXIV de *Reform.*; » et concordat alia resolutio in *Nullius*, 1595, lib. VIII *Decret.* pag. 124, ibi : « Congr. concilii censuit » illa verba Concilii, quæ habentur in cap. XII, » § *Provisi*, sess. XXIV ejusdem concilii, intelligenda esse quoad fructus faciendos suos, ideoque » omissionem professionis fidei non privare canonicum supra narratis possessionis effectibus, sed » ipsum et vocem in capitulo et jus præcedendi » a die adeptæ possessionis habere, nisi aliud

» obstat, quamvis professionem fidei non emisit. »
 « His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere :
 I. An professio fidei emittenda sit tam a cano-
 nicis cathedralis quam collegiatarum? II. An ea-
 dem emitti possit per procuratorem? III. An sit
 emittenda coram episcopo aut ejus vicario gene-
 rali, et deinde coram canonicis capitulariter con-
 gregatis? IV. Quibus poenis subiaceant non emit-
 tentes, vel debito modo non emittentes, profes-
 sionem fidei? »

» Sacra Congr. respondit : Ad I. Esse emittendam
 a canonicis cathedralis et non collegiatarum.
 Ad II. negative. Ad III. Emittendam esse coram
 episcopo aut ejus vicario, et etiam coram cano-
 nicis capitulariter congregatis; sufficere tamen, si
 emittatur coram capitulo, cui episcopus vel vica-
 rius generalis intersit. Ad IV. Non facere fructus
 suos, sed distributiones lucrari pro horis quibus
 intersunt. Dieb. 23 januar. et 9 febr. 1726. »

ADNOTATIO XIII.

*Lib. I. Tit. II, de Constitutionibus, § III, n. 66 ;
 pag. 116.*

DE CONCILII GENERALIS AUCTORITATE SUPRA PAPAM.

Inter propositiones ab Alexandro VIII die 7 dec.
 1690 tanquam temerarias, scandalosas, male so-
 nantes, injuriosas, heresi proximas, heresim sa-
 pientes, erroneas, schismaticas, et hæreticas res-
 pective, invenitur sequens : « Futilis et toties con-
 » vulsa est assertio de Pontificis Romani supra
 » concilium œcumenicum auctoritate, atque in
 » fidei questionibus decernendis infallibilitate. »

Articuli Gallicanæ declarationis anni 1682 re-
 jecti fuerunt ab Innocentio XI per litteras in
 forma brevis 11 april. 1682, et per Alexan-
 drum VIII in constitutione *Inter multiplices*. De-
 nique susceptos a synodo Pistoriensi iterum rejecit
 Pius VI bulla *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794. No-
 tamus præterea illos ab ipsis auctoribus, lit-
 teris ad Innocentium XII ann. 1699 datis, et ab
 ipso Ludovico XIV retractatos fuisse. Sic locutus
 est Alexander VIII : « Omnia et singula quæ, tam
 quoad extensionem juris regalæ quam quoad de-
 clarationem de potestate ecclesiastica ac quatur
 in ea contentas propositiones, in supra dictis co-
 mitiis cleri Gallicani ann. 1682 habitis acta, et gesta
 fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, ar-
 restis, confirmationibus, declarationibus, epistolis,
 edictis et decretis a quibusvis personis sive eccle-
 siasticis sive laicis, quomodolibet qualificatis,
 quavis auctoritate et potestate, etiam individuam
 expressionem requirente, fulgentibus, edictis seu
 publicatis... ipso jure nulla, irrita, invalida, inania,
 viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab
 initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque
 ad illorum seu cujuslibet eorum, etsi juramento
 vallata sint, observantiam teneri, tenore præsen-
 tium, declaramus. »

ADNOTATIO XIV.

Lib. I. Decretal. Tit. II, § III, n. 67 ; pag. 116.

DE AUCTORITATE CONCILIORUM PROVINCIALIUM.

Attendendum quod auctor noster limitum, quos
 concilia provincialia prætergredi nequeunt, alibi
 meminerit, nempe cum, eodem titulo n. 61, scri-
 bat : « Concilium provinciale est illud quod congre-
 gatur ex suffraganeis certæ provincie, auctoritate
 metropolitani, ad definiendas causas spirituales il-
 lius provincie, quæ non sunt ex majoribus, sum-
 moque Pontifici reservatis. » Item n. 75 : « Non
 tamen possunt archiepiscopi, etiam in provinciali
 concilio, nec episcopi pro suis diocesis, multo
 minus alii inferiores prælati pro subditis, quid-
 piam statuere contra jus commune canonicum,
 aut alias constitutiones apostolicas : ita unanimis
 doctorum. »

Concordant novissimorum conciliorum decreta.
 Parisiensis quidem tit. I, cap. v : « Concilia pro-
 vincialia, quibus firmatur unitatis vinculum, ec-
 clesiasticæ discipline vigor aut custoditur aut re-
 novatur, convocanda esse præcipit sacros. Triden-
 tina synodus pro moderandis moribus, corrigendis
 excessibus, controversiis componendis, aliisque ex
 sacris canonibus permissis... Docemus, secundum
 Ecclesiæ catholicæ instituta, episcopis in concilio
 provinciali legitime congregatis jus et potestatem
 competere ferendi, pro sua provincia, leges dum-
 modo generalibus Ecclesiæ canonibus et Sanctæ
 Sedis constitutionibus non adversentur. »

Rhedonensis, decreto VI : « Nemini autem du-
 bium esse debet quin episcopi canonice, sic (in con-
 cilio provinciali) congregati, potestatem habeant,
 in omnibus quæ non reservantur summo Pontifici,
 leges ferendi vi propria per totam provinciam
 obligatorias. »

Burdigalesis, tit. IV, cap. III : « Meminerint
 fideles et presbyteri episcopis, ex constitutione di-
 vina, competere jus docendi et regendi Ecclesiam
 suam; leges et statuta de rebus ecclesiasticis con-
 dendi; nec non judicia de causis spiritualibus, ad
 fideles vel clericos spectantibus, ferendi, salvo ta-
 men, quæ sacris canonibus et apostolicæ Sedi de-
 bentur, reverentia et subjectione. » Et cap. IV :
 « Non ante promulgabuntur decreta concilii quam
 subjiciantur, juxta præscriptionem S. P. Sixti V, in
 bulla *Immensa æterni*, Sanctæ Sedi apostolicæ quæ,
 si quid in eis mutandum aut corrigendum judica-
 verit, id totum, ad illius mentem et placitum, mu-
 tabitur et corrigetur. Ea vero decreta, statim ac
 promulgata fuerint, vim legis habebunt in tota
 provincia. »

Coloniensis, part. II, tit. I, cap. IV : « Concilii
 provincialis decreta, a Sede Romana recognita et
 per metropolitam promulgata, per totam provin-
 ciam obligant. »

Cf. D. Bouix, *Du concile provincial*, sec. edit.
 Lugduni et Parisiis, Régis Ruffet, 1862.

ADNOTATIO XV.

Lib. I, Decret. Tit. II, § IV, n. 75 ; pag. 118.

QUANDO INTERVENIRE DEBEAT CONSENSUS CAPITULI.

Tota hæc materia fusius tractabitur ab auctore
 nostro lib. III *Decretalium*, Tit. X, *De his quæ sunt
 a prælato sine consensu capituli*. Inordinatum
 prorsus foret aliquid horum præpropere attingere.
 Juvat nihilominus jam oculis studiosorum subji-
 cere titulos duorum operum ad rem spectantium,
 videlicet : *Tractatus de capitulis*, auctore D. Bouix,
 theologiæ et juris utriusque doctore; sec. edit.
 Régis Ruffet, 1862. — *Des chapitres cathédraux en
 France devant l'Église et devant l'Etat*, auctore
 R. D. Victore Pelletier, ecclesiæ cath. Aurelia-
 nensis canonico capitulari; Parisiis, apud Jacobum
 Lecoffre, 1864.

ADNOTATIO XV bis.

Lib. I, Tit. II, § IV, n. 77 ; pag. 119.

JURA EPISCOPI PRÆTER FAS ATTRIBUTA.

Sic loquitur Pius PP. VI in bulla *Auctorem fidei*,
 28 aug. 1794 :

« 6. Doctrina synodi, qua profitetur persuasum
 » sibi esse Episcopum accepisse a Christo omnia
 » jura necessaria pro bono regimine suæ diocesis; »
 » perinde ac si ad bonum regimen cujusque diocesis
 » necessarie non sint superiores ordinationes,
 » spectantes sive ad fidem et mores, sive ad gene-
 » ralem disciplinam, quantum jus est penes summos
 » Pontifices et concilia generalia pro universa Ec-
 » clesiâ; schismatica, ad minus erronea. »

« 7. Item, in eo quod hortatur Episcopum ad
 » prosequendam naviter perfectionem ecclesiasticæ
 » disciplinæ constitutionem; idque contra omnes
 » contrarias consuetudines, exemptiones, reserva-
 » tiones, quæ adversantur bono ordini diocesis, ma-
 » jori gloriæ Dei, et majori edificationi fidelium; »
 » per id quod supponit episcopo fas esse, proprio suo
 » iudicio et arbitrio, statuere et decernere contra con-
 » suetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ
 » in universa Ecclesiâ, sive etiam in unaquaque pro-
 » vincia locum habent, sine venia et interventu su-
 » perioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt
 » et probatæ, et vim legis obtinent; inducens in
 » schisma et subversionem hierarchici regiminis,
 » erronea. »

« 8. Item, quod et sibi persuasum esse ait : jura
 » episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda
 » Ecclesiâ nec alterari, nec impediri posse, et ubi
 » contigerit horum jurium exercitium quavis de
 » causa fuisse interruptum, posse semper episco-
 » pum ac debere in originaria sua jura regredi, quo-
 » tiescumque id exigit majus bonum suæ Eccle-
 » siæ; » in eo quod innuit jurium episcopatum
 » exercitium nulla superiori potestate præpediri aut

coerceri posse, quodcumque episcopus propriæ
 » iudicio censuerit minus id expedire majori bono
 » suæ Ecclesiæ; inducens in schisma et subversio-
 » nem hierarchici regiminis, erronea. »

ADNOTATIO XV ter.

Lib. I, Tit. II, § IV, n. 87 ; pag. 122.

AN POSSIT CAPITULUM STATUTA CONDERE ABSQUE
EXPRESSO CONSENSU EPISCOPI?

Docet auctor noster posse capitulum, ex causis
 » rationabilibus, quædam statuta condere, et, con-
 » currentibus cæteris conditionibus requisitis, illa
 » esse valida, absque alio expresso consensu epis-
 » copi; et quidem probat. Cf. *Institutions diocésaines
 » de Digne*, a DD. Sibour, Parisiis, Lecoffre, 1845;
 » tom. I, part. I, quæst. 6 et 7. Sed doc rina hæc,
 » quæ vertente sæculo decimo septimo sustineri po-
 » terat, presentis disciplinæ consentanea non videtur.
 » Etenim, anno 1723, a Benedicto XIII habitum est
 » Romæ concilium, ubi convenerunt episcopi in spe-
 » ciali provincia Romana constituti, archiepiscopi suf-
 » fraganeis carentes, episcopi Sanctæ Sedi imme-
 » diate subjecti, et abbates nullius diocesis juris-
 » dictionem quasi episcopalem habentes, qui alias
 » sibi metropolitanum, cujus provinciali concilio
 » interessent, non elegerant. »

In hoc concilio, tit. II, cap. IV, leguntur hæc
 » quæ sequuntur : « Ecclesiarum capitulis, tam
 » patriarchalium et cathedralium, quam collegiatarum
 » omnium et conventualium, quæ quidem velut cor-
 » pora, membris compacta, suis legibus vivere,
 » suisque regulis nutrirî et conservari oportet, defi-
 » nite præcipimus ac mandamus ut antiqua, si quæ
 » habent, statuta et capitulares constitutiones depro-
 » mant; et ubi non adsint, sex infra saltem menses,
 » post presentis concilii publicationem, sub eccle-
 » siastici interdicti pœna, omnino conficiant; et
 » utraque, antiqua scilicet et nova, per nos quoad
 » nostræ almæ Urbis ecclesiarum statuta, et reliqua
 » suos respective per episcopos accurate examinanda
 » et corrigenda deducant, atque approbanda præ-
 » sentent. Episcopi igitur in iis examinandis, si quid
 » contra jus vel Tridentini concilii decreta, aut pon-
 » tificias constitutiones irrepsisse cognoverint, super
 » eo Sedem consulant apostolicam, a qua juris re-
 » media expectent. Consuetudines autem, non nisi
 » rationabiles et honestas admittant; et si quas a
 » ratione declinasse, vel contra Breviarii, vel Mis-
 » sialis, Cæremonialis episcoporum, Pontificalis vel
 » Ritualis Romani rubricas inolevisse, ac proinde in-
 » debitam legis speciem usurpasse compererint, vel
 » corrigant, vel omnino delenda decernant. »

Et cap. V : « His præhabitis, præcipuè episco-
 » porum partes erunt ut tali methodo statuta ipsæ
 » et constitutiones condantur, quatenus quæ ipsa-
 » rum sint ecclesiarum et capitulorum origines, fun-
 » dationes, insignia, jura, consuetudines, redditus,
 » onera et munera, suis sub capitibus distinctis, ex-